



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 3. Mira circa hunc rusticum Dei prouidentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

§. III.

Mira circa hunc rusticum Dei providentia.

Clarissimum est in hac historia documentum; & magnum à diuinis iudicijs solatium; quæ si colonus iste non habuisset perspecta, potuisset dicere: Cur Deus à me aufert vxorem? cum qua tam pacificè habitò? qui tamen alijs relinquit vxores, quas illi è vita excedere millies optauerunt? Nempe Deus colonum hunc ad maiorem voluit ducere vitæ perfectionem. Potuisset dicere: cur meos à me aufert Deus liberos, quos in omni probitate educaui? Nempe Deus sciuit illos à malitia deprauandos, si peruixissent; aut patri occasionem præbituros à pietate recedendi; cui placuit omnia à colono auferre virtutis impedimenta, vt de solo Dei cultu cogitaret, imitatus patrem, qui cultrum puero etiam lachrymanti eripit, ne eo se lædat, aut vulneret. Potuisset dicere senex: Ergo in hoc pauper fui factus, vt apud me diuitiæ, per sanguinem meum, quærentur? in hoc tam diu vitam meam Domino consecraui, vt illam mihi parricidæ extorquerent? in hoc denique Deum honorauit, vt ego pro simulatore, pro hypo-

crita,

crita, pro mago, pro desperato, pro suspendiario ubique proclamarer? Hæc omnia non dixit: quia Deo sua iudicia permisit; quæ tantæ sunt sapientiæ, vt per illam ipsam humiliationem, per ignominiam, per infamiam, illum tantopere exaltarent. Sic sanctitas illius eluxit; sic patientia probata est, sic homines ipsi errores suos didicerunt agnoscere atque emendare. Viderunt enim & suam in iudicando temeritatem, & aliorum sanctitatem, quos temerè iudicauerunt.

§. IV.

Marcadelli fidelitas, & iniustum supplicium, miraculis compensata.

Vtitur Deus iisdem modis sæpius, sæpius enim pari infamiæ genere homines sauciantur. Vt igitur historiam historiâ confirmemus, audi Cæsarium. *In Ferraria ciuitate Longobardie, ante annos paucos, erat homo quidam Marcadellus nomine, mira simplicitatis, & erga Sanctorum loca maxima deuotionis: Qui cum ob nimiam simplicitatem à multis pro fatuo haberetur, & in oculis DEI esset prudentissimus, quidquid de suis laboribus ultra necessitates natura reseruare poterat, illud in visitando limina beati Iacobi in Compostella,*

Cæsarius
lib. 6. il-
lustr. mi-
racul. c. 33^a

E e

ant